



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Argumenta contraria soluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

sane interpositio lunae eclipsem causare non posset, si luna lucem propriam, & à sole minimè mutuatā sibi vendicaret: at lunae lux non deriuatur à sole nec ab eo producitur mediātē, siue media luce, quae lunae proxima; & contigua sit: cum hæc remissior sit luce lunari: igitur ea lux à sole immediate producitur, & deriuatur: ac proinde agens aliquod in distans immediate operari potest. Idem argumentum fieri potest in luce, in speculo, aut crystallo refracta, quae, cum luce intermedia, & sibi contigua intensior sit, non ab ea, sed à sole à se distanti accenditur.

7. Secunda pars nostrae sententiae contra Scotum, & affectas probatur: quia omnia agentia actiuitatis sphaera sibi praescribunt, & in certa quadam distantia, & non maiori operari possunt: at si operari possent in distans non operando per medium, nullam actiuitatis sphaeram sibi praestituerent, & in quauis distantia operari possent: ergo, &c. Maior experientia euidens est. Minor suaderetur: quia si agentia naturalia, ut agant in passum distans, in medio operari non debent: quid refert spatium, quod inter ea, & passum interijcitur, esse paruum, aut magnum, ut in eo operentur? qua ratione intellectus obiectum in quauis distantia intelligere potest, & siue spatium inter illum, & obiectum sit magnum, siue paruum: eodem modo illud percipere: nimirum quia ut intellectus obiectum distans intelligat prius ea, quae in medio sunt, intelligere in illius virtutem suam defatigare non debet. Secundo eadem nostrae sententiae pars suaderetur: quia clausa cubiculi fenestra sol cubiculum illuminare nequit: at huius nulla alia ratio esse potest, nisi quia sol nequit lucem in cubiculo producere, quin eam in medio producat: eam vero in medio producere nequit, si fenestra clausa; atque adeo lucis incapax sit: igitur sol lucem in distanti producere nequit, quin eam in spatio intermedio producat: ac per consequens quoduis aliud agens, &c.

8. Respondentaliqui, solem in visceribus terrae mineralia producere, quin tamen ea in medio producat: igitur quantumuis sol, &c. aut aliter, ut sol in visceribus terrae mineralia producat, satis est, ut qualitates accidentarias à mineralibus distinctas in medio producat: igitur ut sol cubiculum illuminare possit, satis erit, ut calorem aliamque qualitatem à luce distinctam in medio producat: at quantumuis clausa fenestra lucem in medio producere nequeat; ceterò calorem, cuius fenestra capax est, aliamve qualitatem in medio producere poterit: cur ergo ea producta lucem in cubiculo eius fenestra clausa producere nequeat, si aliunde non obstat, aut si ratio a nobis allata spectetur?

9. Hæc obiectio nos cogit, ut explicemus; quo pacto agentia in medio agere debeant ad hoc, ut in distans actionem traiciant: agentia ergo naturalia actione continuata per medium agere debent, ut in distans operentur: quod ita intelligendum non est, quasi actio per medium diffusa partes eiusdem rationis, aut inter se unitas habere debeat: sol etenim in corporibus caelestibus solam lucem; in aere lucem, & calorem; in penetralibus terrae, non lucem, sed calorem, & siccitatem, aliasque qualitates, & medijs ijs plures formas substantiales producit: quare actio per medium diffusa debet esse continuata per subor-

dinationem, & causalitatem: ita ut qualitas in vicino producta aliam qualitatem eiusdem, aut diuersae rationis in longinquo producat, & hæc aliam, & sic de reliquis, donec ad passum principale ab agente distans perueniatur: cuius ratio est, quia actio, qua agens ad terminum à se distantem producendum paulatim pergit, est via quædam ad terminum: unde continuata esse debet, sicuti exposuimus. Cum ergo nulla qualitas inferior lucem producere possit; sed potius lux calorem, aliasque qualitates inferiores producat, ut experimento compertum est; mirum accidere non debet, quod sol medio calore, aliamque qualitatem inferiori in fenestra clausa producta ad productionem lucis in cubiculo pertingere nequeat: si enim ita pertingeret, eius actio per medium diffusa non esset continuata per causalitatem, & subordinationem: at quantumvis Sol mineralia in extremis terrae partibus non producat, sed calorem, siccitatem, aliasque qualitates, quia tamen hæc dispositiones sese ipsas inuicem per medium producunt; sanè actio solis usque ad viscera terrae, in quibus tandem mineralia producuntur, quodam modo continuata est.

CAPVT II.

Argumenta contraria soluntur.

10. **O**bjicies contra primam nostrae sententiae partem ex Capreolo in 1. dist. 87. ad 8. Agens est quodammodo actus ipsius passi, & passum est quodammodo in potentia ad ipsum agens: at actus, & potentia omnino indistantes esse debent: ergo & agens, & passum. Objicies secundo ex Molina 1. p. q. 8. art. 1. disp. 2. illud Actorem cap. 17. ibi: *quamuis non longe sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur & sumus*: nec non illud Davidis Psalm 138. ibi. *quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam: si ascendero in caelum, tu illic es? si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Quibus Scripturae locis asseritur, Deum praesentem nobis esse, ubicumque simus; quia in nobis operatur: at hæc nulla esset, si agens aliquod in distans operari posset. Objicies tertio ex P. Vasquez tom. 2. in 1. p. disp. 189. cap. 2. quia Angeli ab omnibus censentur praesentes esse corporibus assumptis, in quibus loquuntur, & operantur; & Dæmones energumenis, qui ab ijs vexantur: non alia ratione, nisi quia Angeli, & Dæmones in ijs corporibus operantur: at hæc ratio nulla esset, si agens in passum à se distans operari posset.

Ad primum respondeo: agens non est actus secundus, & formalis respectu passi, sed actus primus, & efficiens: nec maiori proprietate passum respectu agentis potentia est: quare non est, cur agens, & passum indistantia esse debeant; cum solum actus formalis, & secundus potentiae in eodem genere praesens esse debeat. Ad secundum respondeo, Paulum testimonio adducto sermonem habere, non de praesentia, aut indistantia physica, sed de sola praesentia intentionali. quia Deus à nobis cognosci facile potest: Athenienses

nienfes enim cæcitratis arguit, eo quod Deum, cui viuere; mori, & operari velut primo Authori debeant, minimè agnoscerent: cum tamen ex eius effectis cum facile agnoscere possunt. Regius autem Vates sermonem habet de præsentia intentionali, qua Deus cuncta penetrat, intelligit, & prouidet, vt Hieronymus, Genebrardus, Euthymius, Chrysostom. Bellarminus, & alij docent: & ex ipso Psalmsi argumento, & initio colligitur ibi: *Domine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas de longe, &c.* Hæc autem præsentia intentionalis, qua Deus vbique est, rectè colligitur ex eo, quod Deus vbique operetur: cum Deus quod operatur, id cognoscere necessario debeat. Quia vero complures Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 4. art. 1. censent ex iis locis colligi immensitatem Dei, eiusque præsentiam physicam spatiis omnibus, quotquot in infinitum diffusa sunt: ideo si manus, dicitur, causam adæquatam non posse non esse indistantem à passio, in quo operatur: cum ergo Deus vbique aliquid adæquatè operari possit: ideo necessario vbique est: causa vero creata nihil adæquatè, & sine consortio Dei operari potest: ac proinde non postulat indistantiam à passio, in quo operatur. Ad tertium respondeo: Angeli corpora, siue vera, siue phantastica mouere, aliò modo in iis operari possunt, quantumvis ab iis distent, vt Scotus, Okamus, Gabriel, & Herueus in 1. dist. 37. apud P. Suarez disp. 18. sect. 8. perspicue tradunt: quare corporibus præsentibus eos esse ex eo, quod in iis operentur, coniecturaliter tantum colligi, non certo deduci potest: cum enim alicubi esse debeant, ubi vero inter non sint, clarè non constet; ibi certè eos esse credibilius est, ubi operantur: hæc autem ratio coniecturalis valet, esto Angelus, & quoduis agens in distans operari possit.

12. Obiicies primò contra secundam nostræ sententiæ partem. Basiliscus hominem à se distantem visu interimit, & oculus puerum à se distantem fascinat: & lupus hominem à se prius visum locutione ad tempus priuat: at eæ causæ hos effectus nociuos in distans operantur, quin in medio operentur: nec enim aëri intermedio nocent, in eoque qualitatem aliquam ei nociuam producant. Obiicies secundò: magnes ferrum à se distans attrahit, in eoque qualitatem aliquam eius attractiuam producit: at nihil in medio operatur, aerem enim medium ad se non attrahit. Deinde torpedo aquis immersa piscatoris à se distantis manum torpore afficit, piscesque alias à se distantes eodem torpore afficit, easque hac arte capit, & vescitur, vt tradit Aristoteles lib. 9. Histor. animal. cap. 37. at nihil in medio operatur: quid enim illud esse potest? Obiicies tertio: phantasia in cerebro residens mouet, & alterat appetitum in corde existentem, & à se distantem: & appetitus etiam manus, pedesque à se distantes mouet: at nihil in medio operantur: appetitus enim manus, pedesque mouens reliquum corpus interiectum non mouet, vt experimento constat: phantasia etiam appetitum cordis mouens nihil in medio prius operatur: quid enim illud esse potest? Rursus: Angelus alteri Angelo à se distanti loquens, eique sensus suos exprimens aliquid in eo operatur: at nihil in medio operatur: an enim cum medio sermocinatur, eivè se-

creta sua pandit?

Cæterum nè hæc vrgent. Ad primum respondeo: Basiliscus, fascinantis oculus, & lupus homini à se viso nocent, qualitatèque noxias in eo producant: cæterum easdem qualitates fundendo prius per medium aera: quia vero aer intermedius non habet humores, qui putrefieri possint: ideo eæ qualitates ei perceptibiliter nocere nequeunt, estd enim non nihil fortè inficiant. Ad secundum respondet Alexander lib. 2. question. natural. magnetem in ferro distantem nullam qualitatem attractiuam producere, illudque non tam attrahi à magnete, quàm innata virtute, & naturali pondere se se ad magnetem velut ad centrum mouere. Verùm hæc solutio displicet: tum quia si ferrum innata virtute magnetem quasi centrum peteret, in quacumque distantia ad eum moueretur, vt in elementis cernere est: ignis enim in infimis terræ cauernis clausus sursum erumpit, & portio terræ quantumvis euecta deorsum proruit: at ferrum in quacumque distantia ad magnetem non pergit. Tum quia si ferrum propria, & innata virtute ad magnetem se se moueret, eadem motio fieret, esto ferrum ingentis esset molis, & magnes minimæ, & exiguæ: quid enim obesse potest exiguitas magnetis, si magnes ferrum non mouet, nec attrahit: at contrarium experientia exploratum est. Tum demum: quia si magnes, cepa, aut allio, aut sanguine hirci limatur, ferrum nequitiam attrahet: ergo quia inde virtus eius attractiua debilitatur. Quocirca melius respondetur, magnetem ubi ferrum attrahit, aliquid in eo, necnon in medio operari: cæterum magnes ob id medium ad se non attrahit: quia non qualitatem attractiuam, sed aliam diuersæ rationis per medium diffundit: vel quia non qualitatem per medium spargit, eius qualitatis vis attractiua non est respectu aeris, sed respectu ferri ob specialem eius dispositionem: quæ ratione species impressæ per aera diffusæ ei perinde ac visui obiectum non representant. Ad exemplum torpedinis similiter dicendum est, eam agere per medium, vt docet Plinius apud Patrem Suarez supra num. 26. ibi: *odore, & quadam aura sui afficit membra.* Quibus verbis insinuat, torpedinem quandam sui auram, atque mephitim per medium exhalare.

Ad tertium respondeo phantasiam neruis coniunctam eorum ministerio humores ad cor vsque alterare, & mouere: quare aliquid per medium agere, ubi appetitum cordis à se distantem mouet. Deinde appetitus qualitates quasdam loco motiuas, & impulsiuas per medium corpus ad manus pedesque traiecit: ideo vero corpus intermedium non mouent: quia earum vis loco motiua non respectu corpus intermedij, sed respectu manuum, pedumque est. Secundò etiam dici potest, nec phantasiam efficienter de obiecto ad obiectum mouere appetitum: neque appetitum de loco ad locum mouere corporis membra distantia, sed ipsum appetitum per quandam sympathiam cum phantasia, & corporis membra per similem cum appetitu sympathiam se se mouere: quare cum in præsentia in distans operatio non sit: quid mirum si per medium nihil agi debeat: Ad id quod adducitur de locutione Angelica, in præsentiarum dicendum est, eam consistere in actu voluntatis, quo Angelus loquens vult vt audiens secretum sui cordis noscat: Deus

autem intuitu huius actus tenetur concurrere cum specie impressa eius secreti in Angelo auctante præsupposita ad cognitionem, qua de eiusmodi secreto certior fiat; secluso vero eo voluntatis actu Deus eiusmodi concursum præstare non tenetur, sed potius cohibere: id enim consentaneum, ac debitum est commercio, quod Angeli, velut creaturæ rationales postulant. Quare Angelus Angelum à se distantem alloquens nihil in eo efficit: cur ergo per medium operari debeat?

15. In calce huius tractatus, & capitis sciscitabitur fortasse aliquis: an approximatio agentis respectu passi, omnium consensu, ad operandum requisita, requiratur tanquam conditio prævia ad effectum, & non solum concomitans? Pater Arriaga disput. 7. Physicor. sect. 6. partem negantem manifestam arbitratur: quia cum vnum corpus mouet aliud, approximatio localis vtriusque in eorum vbitatibus sita est effectus motus; ergo non est conditio ad motum prævia: cur ergo ad alias operationes conditio prævia esse debeat? Verum opposita, & communis sententia mihi magis probatur: quia approximatio intentionalis, siue representatio obiecti non concomitanter, sed præui ad agendum intentionaliter, siue amandum requisita est: ergo approximatio physica non concomitanter, sed præui ad agendum physice requisita erit. Secundo: quia ideo ignis calefacit lignum, quia ei posituè approximatur, non verò è conuerso: ergo approximatio est conditio ad calefactionem præui, & antecedenter requisita: hæc enim irreciproca causalis inter res realiter distinctas, naturalis antecessoris certissima index est: & quidem alias omnes conditiones ad agendum præui de medio tolli poterunt. Quod autem in contrarium Arriaga adducit, momenti non est: sicut enim licet iuxta ipsum naturam ad reliquos effectus producendos subsistentia, velut conditionem præui indigeat; ad producendam tamen ipsam subsistentiam ea velut conditione prævia ad se ipsam non eget: ita similiter quamuis vnum corpus ad mouendum aliud, illudque sibi approximandum approximatione locali, velut conditione prævia non eget: inde tamen minime colligi poterit, eam ad reliquos effectus conditionem præuiam non esse.



TRACTATUS VI.

De unitate causæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

An causa totalis respectu effectus eiusdem vna tantum esse debeat?

1.



E causa partiali proculdubio est, eam respectu vnius effectus non vnam tantum, sed multiplicem tam in eodem, quam in diuerso genere esse: deinde duas causas materiales totales respectu vnius formæ naturaliter repugnare exploratum est: alias eadem forma in duobus ho-

minibus, aut equis esse, & eorum materias informare posset. Rursus duas formas, siue duas causas formales adæquatas in eodem subiecto esse, si formæ substantiales sint, naturaliter repugnat, vt lib. 2. edocuius: secus verò si accidentariæ sint, cum eadem anima verbi gratia intellectionem, & volitionem actus, & habitus vocationem, & durationem suscipiat. Quare an respectu vnius effectus vna tantum causa totalis esse debeat: siue, vt alij loquuntur, an ad eundem effectum due causæ totales concurrere possint in sola causa efficienti, & finali locum habere potest: in quibus etiam animaduertendum est, sermonem non esse de causis totalibus in actu primo, siue de causis de se sufficientibus ad hoc, vt alterutra se sola effectum produceret: sic enim compertum est, duas eiusdem effectus causas totales, imò infinitas syncategorematicè esse posse: vnde solum questio est de causis totalibus in actu secundo: quarum videlicet quævis actione totali, & se sola ad effectum sufficienti gaudeat. Quo constituto:

2. Affero primò, causam efficientem totalem de potentia Dei absoluta respectu vnius effectus vnam tantum esse non debere, sed plures esse posse: ita cum P. Valentia tom. 4. disp. 1. quest. 3. punct. 3. & Patre Suarez 1. Metaphys. disp. 26. sect. 4. num. 14. plerique DD. nostræ Societatis. Probatur primò: quia effectus supernaturaliter prodire potest à causa efficienti, à qua naturaliter produci nequit; gratia verbi gratia ab aqua, vt inferius ostendam: ergo quamuis naturaliter produci nequeat effectus à duplici causa totali, tamen ab ea supernaturaliter produci poterit. Secundo quia eadem numero forma in duabus materiis adæquatè distinctis suscipi, ab iisque in genere causæ materialis totaliter causari diuinitus potest, esto naturaliter nequeat: haud secus ac, quod non minus est, forma ab omni causa materiali diuinitus absolui potest: ergo similiter idem effectus à duplici causa totali diuinitus produci potest, tametsi naturaliter nequeat. Tertio: vnicum corpus à duplici vocatione totali diuinitus à posteriori dependere potest, vt ex mysterio Eucharistiæ constat: ergo similiter idem effectus à duplici causa totali diuinitus à priori dependere potest.

3. Affero secundò: causam efficiens totalis naturaliter & de potentia ordinaria respectu vnius effectus vna tantum, & non multiplex esse debet. Hæc conclusio, quæ teste Suarez vbi supra omnium fermè Philosophorum est, in hunc modum probatur: quia sicut natura necessaria prouidet, ita superflua abhorret: at vna causa totalis respectu vnius effectus sufficit, & due superfluant: igitur due à natura abhorrent, siue naturaliter repugnant. Huic argumento respondent nonnulli: primò duas causas totales in actu secundo: siue, quod perinde est, duarum causarum duas actiones totales non esse superfluas: quia necessariae sunt ad hoc, vt vtrique causa virtutem suam ostentet, quam certè neutra tantundem ostentaret, si effectum inadæquatè solum produceret. Secundo alij respondent, eas actiones totales superfluas non esse: quia ad perfectionem vtriusque causæ necessariae sunt: siquidem vtrique causa minus perficeretur per actionem, si inadæquatè tantum ageret, quam si adæquatè, & totaliter ageret, ex his solutionibus prior actionem esse